

quod dedit mihi. maius omnibus. est. ita etiam spiritus christi. habet
quod maius est omnibus. quia iustitia nescit inuidiam. ·XVIII·

Itaque si diligenter aduertamus. etiam in hoc diuine
potestatis comprehendimus unitatem. Pater inquit
quod dedit mihi. maius omnibus. est. Et nemo potest
rapere de manu patris mei; ego et pater. unum
sumus; Nam si recte supra ostendimus. manum esse
dei. spiritum sanctum. eadem utique manus patris est. que filii est
manus. quoniam idem spiritus patris. qui spiritus filii est; Ideo sicut
non rapitur patri. ita non rapitur filio. ita non
rapitur et spiritui. Quicumque de nobis in hoc nomine
trinitatis. uitam accepit aeternam; Ex ipso autem quod
dedit filio pater. et accepisse a filio spiritus dicitur.
quia scriptum est. Ille me clarificabit. quia de meo
accepit. et adnuntiabit uobis; quod de munere ma
gis dispensationis uidetur. quam de potestatis diui
ne iure dixisse; quia quos filius redemit. spiritus quoque
sanctificaturus accepit; Existis ipsis inquam uerbis
de quibus calumniam astruunt. unitas diuinitatis
aduertitur. non indigentia largitatis; Dedit
pater per generationem non per adoptionem. quasi id